



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XLVI. Simoniæ. Dum Author Judicium suum exponit in Causa litigiosi Beneficii, simul latè tractat de Simonia, ac præsertim de usu multarum Ecclesiarum, ubi exigitur aliquid à novis Canonicis pro ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

CONSILIUM XLVI.

In Causa Litigiosi Beneficii, & Dubii
de commissa Simonia in capienda illius Possessione.

SUMMARIUM.

1. 2. Facti Species.
3. seqq. Rationes, ex quibus videtur non esse Simoniacum, si pro capienda Possessione Beneficii Spiritualis solvatur pecunia.
6. seqq. Vexatio injusta in capienda Possessione Beneficii potest redimi pecuniâ, si Jus Beneficii jam certum est quoad proprietatem, & vexans solummodo potest impedire Possessionem, non verd in eam immittere.
13. Si Jus Spirituale Beneficii nondum est plene acquisitum, non potest pecuniis redimi Possessio.
14. Pro exercitio Potestatis Spiritualis non potest recipi pretium temporale.
15. Simoniacus est, qui dat Temporale tanquam motivum Spiritualis sibi vicissim dandi.
16. seqq. Etiam pro Immissione in Possessionem nihil temporale licet dare ex Pacto.
19. 20. Vendere Beneficium Spirituale quoad Jus percipiendi Reditus temporales, est Simonia Juris Divini.
21. 22. Eodem Jure prohibetur, dare velexigere temporale ex pacto, pro Immissione in Possessionem Beneficii Spiritualis, extra Casum redimenda vexa injusta.
23. Jus Ecclesiasticum etiam prohibet permutationem Beneficiorum, & quandoque donum liberale.
24. Consuetudo non facit licitam Simoniam Juris Divini.
25. Etiam si consideretur Beneficium duntaxat quoad Jus percipiendi Reditus temporales.
26. 27. Si tantum agatur de Possessione extra casum vexa injusta, nulla consuetudo licitum facit, ut detur temporale ex pacto.
28. Etiam si Temporale non detur in pretium, sed in sustentationem.
29. Etiam si sit modicum quid.
30. 31. Non damnatur antiqua consuetudo dandi aliquid liberaliter absque obligatione, convertendum in Usus pios.
32. Mercedem possunt accipere Officiales pro labore in danda Possessione habito.
33. 34. Consuetudo dandi aliquid Canonicis pro Immissione in Possessionem tolerari potest, si sit antiqua, & tacito Consensu Pontificis, & Episcoporum roborata.
35. seqq. Ex dictis deciditur prasens Controversia.
40. Absque Literis Apostolicis super impetratione Gratia consecratis non potest dari Possessio.
41. Excommunicatio incurritur.
42. Si committitur Simonia circa Beneficium propriè dictum.
43. Provisio Simoniaca est Nulla.
44. Jure Ecclesiastico, non Naturali.
45. Nulla est Electio, etiamsi unus tantum votum det Simoniacè.
46. Etiam si ignorante eo, qui promovetur, Simonia committatur, nisi hoc factum sit in fraudem.
47. Simonia ab alio commissa non nocet Promoto, si hic expressè contradicat, & tacite eam non approbet.
48. 50. Promotus Simoniacè tenetur fructus restituere.
49. Qui bona fide obtinet Beneficium, defenditur Regulâ de trienniali, etiamsi Simonia ipso ignorante sit commissa ab alio.
51. seqq. Pretium temporale Simoniacè acceptum restitui debet Ecclesiæ &c.
56. Simoniacè obtinens Beneficium, redditur inhabilis ad idem obtinendum.
57. Imò etiam ad alia saltem post sententiam.
58. 59. Obtentis jam Beneficiis, & eorum Fructibus privari potest à Judice.
60. seqq. Pœna ista probabilius incurritur etiam ob Simoniam Juris Ecclesiastici.
63. Non incurritur pœna, si probabile sit, Simoniam non esse commissam.
64. Aut si verè dubium, an sit commissam.
65. Aut si tantum sit Simonia materialis.
66. seqq. Applicantur Dicta ad prasentem Casum.
69. Jus Caji in hoc Casu videtur dubium.
70. Ordinarius Beneficia inferiora conferre debet intra Semestre.
71. Beneficium vacans in Curia conferri à Pontifice debet intra Mensem.
72. Beneficium vacans in Mense Papali conferri debet intra Trimestre.
73. 74. Qui culpabiliter Collationem sibi factam intra Trimestre non publicat, pœna arbitraria subjacet.
75. Beneficia, qua per Sententiam Sedis Apostolica vacant, reservata sunt Pontifici.
76. seqq. Deciditur tota Controversia.

FACTI SPECIES.



Titius obtinuit in Curia Romana Beneficium, seu Canonicatum, circa quem ipsi lis est cum Cajo. Ut hunc ille praeveniat in capienda Possessione, non exhibitis adhuc Bullis Pontificiis Capitulo, quippe quae nondum adveniant, sed ad solum Conferentem (inattenta protestatione, quam Cajus in ipso Possessionis datae aditu opposuit) ejusdem Canonicatus Possessionem adit, proque statutis Capituli ducentos, & octo Imperiales solvit, simul etiam cavet, fidejuben- tibus duobus, sub poena centum Marcarum auri puri, de non repetenda dicta pecunia, à se soluta, in omnem, & quemcumque casum, etsi forte Praebenda haec per alium evinceretur.

Evicit autem Romae Cajus dictam Praebendam; sed cum videret, motivum Provisionis Apostolicae, in favorem suum factae, in dubium vocari velle, petit eundem Canonicatum à Sancta Sede sibi conferendum, ac etiam quinto post primam Beneficii vacationem mense impetrat Jure Reservationis, per sententiam contra Titium prolata inducitur, conjuncto cum prioribus Juribus, & ut verba Rescripti sonant, Jura Juribus addendo. Cum tamen Cajus benignus, Capitulum eosdem 208. Imperiales, quos Titius dedisset, etiam à se exacturum, adhuc moram traheret, Ordinarius Collator, elapso pridem trimestri, quod Pontifici in Concordatis Germaniae concessum est, Jure ad se revertere vult dictum Canonicatum conferre alteri tertio, tam Cajo, quam Titio excluso, dum interim Capitulum possessionem Cajo offert. Hac Specie Facti posita,

QUÆRITUR I.

An in Casu presenti, dum à Titio soluti sunt ducenti, & octo Imperiales pro statutis Capituli, commissi sit Simonia?

Videtur, non esse commissi Simonia. Et quidem i. Quia Titius hanc pecuniam solvit, ut Possessionem Beneficii, à se obtenti, capere posset, alias forsitan illam non capturus. Est autem

per ea, quae docet Suar. lib. 4. Simon. c. 50. n. 31. Less. lib. 2. de Just. c. 35. num. 116. Laym. lib. 4. tract. 10. c. 8. n. 22. exinde. Barbof. in c. 36. de Simon. n. 4. Wagnereck in c. 23. eod. not. 4. & alii notant cum S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 2. ad 5.

communis doctrina, si quis post confirmationem, vel collationem Beneficii sibi factam impediatur ab acquirenda illius possessione, talem posse pro ea impetranda dare

pecuniam: quod probare videtur etiam ratio: nam

2. Possessio, secundum se spectata, non est Jus aliquod Spirituale, sed tantum aliquid Temporale, sive corporalis apprehensio rei: & tantum est Spirituali annexa, quantum ex titulo Spirituali pendet, cujus vi capitur. Postquam ergo titulus Spirituales per collationem, vel confirmationem est acquisitus, etiam si Possessio de novo acquiratur, non tamen acquiritur, ut annexa rei, seu Juri Spirituali, sed secundum se ut quid corporale, per se, & immediate debitum, licet postea conjuncta cum titulo Spirituali fiat Spirituales. Ergo solvendo pecuniam pro Possessione Beneficii jam obtenti capiendae, non committitur Simonia; quia solum redimitur factum, non Jus Beneficii.

3. Si aliquid obstaret, obstaret c. Jacobus. 44. de Simon. Sicut & Trid. sess. 24. c. 14. de reform.

ubi reprobatur consuetudo exigendi prandium, vel convivium, & quodvis aliud Temporale pro receptione Canonicorum; hoc verò non obstat; quippe cum teste Pirhing ad tit. de Simon. num. 91. not. 2.

hoc passim non observetur, praesertim in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis Germaniae, ubi ait, nunc receptum esse, ut novi Canonici convivium dare, imò & in quibusdam locis certam pecuniae summam in Capitulo persolvere debeant: quam consuetudinem citat. Author, Simoniae, etiam Juris tantum Ecclesiastici damnare non audeat; cum ea toleretur ab Episcopis, imò etiam à Papa, quem tam generalem consuetudinem integritatis nationis ignorare, non est verisimile. Cum ergo in Ecclesia, in qua situs est Canonicatus Quæstionis, Canonici novi, quando ad Possessionem Canonicatus, sibi recens collati, admittuntur, soleant pro statutis Capitulo solvere ducentos, & octo Imperiales, imò hoc statuto peculiari ibidem cautum sit; Simoniae damnari non poterit Titius, quod morem hunc secutus sit, atque in hoc statutum istud impleverit. Sed facilis est Responsio ad Argumenta hic optota.

Ad 1. Sententia DD. hic allegatorum tantum procedit casu, quo Jus Spirituale Beneficii certum est quoad proprietatem, & injuste denegatur Possessio; tunc enim probabilius est, quod pecunia possit redimi hæc vexatio injusta, saltem ab iis, qui tantum possunt captionem Possessionis impedire, non verò in eam immittere.

Ita cum Rodriq. Veg. Arrag. & in hoc Argumento citat. Suar. lib. 4. de Simon. c. 50. n. 31. Less. lib. 2. de Just. c. 35. n. 110. Laym. cit. tr. 10. c. 8. n. 22. Pal. tract. 17. D. 3. p. 20. n. 3. Dian. tract. 14. ref. 3. Pirhing. tit. de Simon. num. 111. La Croix lib. 3. p. 1. n. 140. & expressè S. Thom. art. 2. cit. ad 5. Mmm 3 ibi;

4.

5.

6.

Solvuntur;

3. Rationes Dubitandi

- ibi: postquam Jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimentum a removere. Et hanc sententiam tenent communiter Canonistae teste Palao n. 3. cit. qui tamen ibidem cum Garc. p. 1. de Benef. c. 2. n. 53. multos refert contrarios, quos sequitur ipse Garcias.
7. Aliud est, si necdum indubitate, & pacifice obtentum sit Jus, quod fit, si sit litigiosum inter duos, & uterque Jus habeat probabile ad idem Beneficium, quod ambo acceperint collationem, vel institutionem in illo; tunc enim, ut notant Suar. Pal. & alii supra allegati, nullo modo liceret Possessionem redimere pecunia: quia tunc redimeretur non tantum Possessio, sed Jus Beneficii infirmum firmaretur, & conservaretur: & sic committeretur Simonia: Simonia enim est dare pretium pro Jure firmiter, & sine controversia acquitendo, aut etiam si necdum acceperis, pro accipienda pacifica Possessione, ut cum aliis notat La Croix. l. cit. n. 141.
8. Addidi, requiri, ut Jus Spirituale Beneficii sit acquisitum quoad proprietatem; nam si quis tantum habeat Jus ad rem, v. g. si sit presentatus, sed necdum institutus; vel electus, sed nondum confirmatus; Simonia est dare pretium ei, qui instituere, vel confirmare debet, etsi injuste neget; quia talis nondum habet Jus certum in re, & sic per pecuniam sternit sibi viam ad Beneficium plene, & pacifice obtinendum: quod SS. Canones prohibent.
- La Croix l. cit. n. 143.
9. Iterum dixi, posse vexationem injustam redimi pecunia saltem ab iis, qui Possessionem Beneficii tantum possunt impedire, & non juvare. Nam in Casu, quo Jus in Beneficio necdum plene est acquisitum, quamvis injuste ab eo plene acquirendo quis impediatur, tamen non est licitum redimere vexationem, si haec fiat ab iis, qui ad Beneficium juvare possunt, id est, ad quos spectat conferre, eligere, presentare, instituere, confirmare, investire.
- Ita Less. lib. 2. de Just. c. 35. num. 106. Dian. p. 6. ref. 17. La Croix n. 144. cum aliis supra citatis, & patet ex c. Matthaeus. 23. de Simon. ubi quidam electus a majore parte Capituli, cum pauci contradicerent, consensit, ut uni ex Electoribus contradicentibus daretur pecunia, ut conquiesceret, & non se opponeret ejus confirmationi. In quo facto Pontifex judicavit, eum Simoniam commisisse, & ideo debere Beneficium dimittere, si salvus esse velit.
10. Ratio disparitatis est, quia, si quis pecuniam det alicui, qui juvare potest, jam per istam sibi directe parat viam ad Beneficium; dando autem alteri, qui tantum potest nocere, directe intendit tollere injuriam, & tantum remote, & indirecte per pecuniam parat viam ad Beneficium, quod nullo Jure prohibetur. Quod si tamen is, qui juvare potest, aliter quem vexaret, quam abutendo potestate, quam habet v. g. ad eligendum, puta, si infamaret illum, aut alios Electores injuste ab eo averteret, ne ipsum eligerent, posset ille hanc vexationem ab eo redimere pretio; quia tunc non vexat, ut est potens juvare, sed ut aliquis alius, qui tantum obesse potest.
- La Croix l. cit. n. 144. cum aliis supra allegatis.
- Quod multo magis procedit, si titulus spiritualis Beneficii plene est acquisitus; nam hoc casu, si is, qui illum, qui acquisivit plene titulum, deberet, & injuste nollet eum mittere in Possessionem, habens tunc titulum sine Simonia metu posset ab eo redimere vexationem. Ratio est: quia, licet sic de novo acquiratur Possessio mediante pecunia, non tamen acquiritur ut annexa rei, seu Juri spirituali, sed secundum se, ut corporale, per se, & immediate debitum, licet postea conjuncta cum titulo spirituali, fiat spiritualis, ut bene dictum est in ratione dubitandi secunda.
- Neque obstat c. Matthaeus. cit. n. 9. supra. Nam in Casu hujus cap. ut cum Suar. lib. 4. de Simon. c. 50. n. 9. notat Pal. tract. 17. D. 3. p. 20. n. 1. contradictio, opposita illi, qui fuit electus a Majore parte Capituli, & ad quam tollendam ipse Electus pecuniam dedit, non erat circa electionem, sed circa confirmationem, ne per hanc ista impediretur, ut dictum Num. 9. allegato; & ideo non fuit redemptio vexationis in Jure acquisito, sed primum per confirmationem acquirendo. Deinde, ut idem Palao l. cit. advertit, non agebatur ibi de redemptione vexationis injustae; poterant enim illi pauci contradicentes Jus Electionis infirmare, quia forte erant contempti, vel quia allegare potuerunt impedimentum Electi, invalidans Electionem. Quotiescunque autem potest aliquis movere litem circa Electionem, presentationem, institutionem, vel aliud quodcumque Jus Beneficii, nullo modo habenti Beneficium licet pecuniam litem remove.
- ut cum Gloss. in c. cum pridem. de Pass. docent Suar. c. 50. cit. num. 10. & 11. Pal. p. 20. cit. n. 1. & alii.
- Ex quo patet Responsio
- Ad 2. Ratio enim, in hoc secundo argumento allata, bene probat, sine Simonia redimi pecuniam posse vexationem, qua injuste denegatur, vel impeditur immisio in Possessionem Beneficii, quoad proprietatem jam plene, & indubitate acquisiti. Contra autem, ut Num. 7. dixi, si Jus spirituale Beneficii nondum esset plene acquisitum, sed illud in dubium vocaretur, & ideo denegaretur Possessio; tunc enim redemptio istius per pecuniam Simoniacae foret.
- ut advertunt Suar. lib. 4. de Sim. c. 50. n. 31. Less. lib. 2. de Just. c. 35. n. 110. Laym.

Laym. l. 4. tract. 10. c. 8. n. 22. v. ex-
inde. Pirhing ad tit. de Simon. n. 111.
& alii DD. passim,

quorum communis doctrina est, quod Ele-
ctio, Confirmatio, Nominatio, Præsenta-
tio, Institutio, Investitura, & similes actus,
quibus Beneficia, Dignitates, & Prælatu-
ræ Ecclesiasticæ obtinentur, si pro iis tempo-
rale quid detur, vel petatur, Simoniacæ sint.

c. cum in Ecclesia. 9. c. de hoc. 11. c.
Matthaus. 23. c. in tantum. 36. c. audi-
vimus. 41. & cæteris. de Simon.

14.

Ratio est, quia hi omnes sunt actus Juris-
dictionis, vel officii, sive muneris, & po-
testatis Spiritualis, ex se ordinati ad Benefi-
cii adeptionem: non potest autem pro ullo
exercitio potestatis Spiritualis absque Simo-
nia quidquam temporale recipi,

& ita teste Pal. tract. 17. D. 3. p. 12. n. 1.
tenent omnes DD.

Quod procedit præsertim, si pactio quædam,
sive explicita, sive implicita præcedat; nam
omnis pactio etiam tacita tantum, & impli-
cita, circa Beneficium proprie dictum, fa-
cta Auctoritate propria, est Simoniacæ Jure
saltem humano. Reverentia enim erga rem
Sacram, & periculum tractandi illam velut
profanam, merito movit Ecclesiam ad pacta
in Beneficiis prohibenda, nisi illa eo animo
fiant, ut dein à Superiore ratificentur.

Leüren. p. 2. for. Eccl. q. 727. La Croix
l. 3. p. 1. n. 70.

15.

Imò qui dat aliquid temporale, tanquam
motivum Spiritualis sibi reciprocè dandi, v.g.
ut alter moveatur ad Beneficium sibi confe-
rendum, quamvis nullum aliud pactum, ne
implicitum quidem, interveniat, committit
Simoniam saltem Juris Ecclesiastici,

ut patet ex Propos. 46. inter prohibitas
ab Innoc. XI.

Ratio est: quia sic dans temporale parat sibi
viam ad Beneficium: quod

S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. &
alii DD.

communiter dicunt, esse Simoniacum: quia
Temporale, quod hoc animo datur, se ha-
bet virtualiter ut pretium, quippe quia, cum
non det alio titulo, dat pro Beneficio, &
sic conferens censetur vendere Beneficium,
sicut vendere dicitur sententiam Judex, qui
munera ad eam obtinendam data, accipit.

La Croix. p. 1. cit. n. 73.

Hinc est, quòd

ut cum Riccio prax. p. 2. resol. 56. adver-
tit Bonacin. de Simon. D. 1. q. 2. §. 2.

Simoniam in traditione pecuniæ pro re Spir-
ituali præsumatur; quia pecunia præsumitur
data titulo oneroso, non liberali; cum ver-
semur in prohibitis, & in re difficilis pro-
bationis, ubi probatio fieri potest per conje-
cturas.

16.

Et quidem quòd committatur Simonia
non solum, quando pecunia, vel aliud
quid Temporale exigitur pro ipsa collatione
Beneficii, sed etiam quando aliquid Tem-

porale petitur pro inductione, seu immis-
sione in Possessionem Beneficii collati, pa-
tet

ex c. cum in Ecclesia. 9. de Simon. ibi:
pro personis Ecclesiasticis ponendis in se-
dem, seu introducendis Presbyteris in Ec-
clesiam &c. consentit c. in tantum. 36. §.
fin. & c. audivimus. 41. tit. eod.

ubi statuitur, pro institutione Reçtoris, vel
alterius Beneficiati nihil licere exigere, vel
dare, ita ut Simoniacus sit non solum is,
qui exigit, vel accipit, sed etiam qui dat, &
solvit pecuniam pro Institutione. Ad cujus
textus intellectionem notat Pirhing

ad tit. de Simon. n. 80.

dupliciter sumi posse institutionem, scilicet
vel pro Institutione Juris, per quam alicui
conferitur Beneficium, aut Electus confirma-
tur, aut præsentatus instituitur; vel prout
est facti, nempe pro introductione, seu
immissione in corporalem Possessionem Be-
neficii jam collati, & obtenti: & utroque
modo dicit, committi Simoniam.

In primo casu ait, indubitato committi
Simoniam: quia talis non debet emere insti-
tutionem, cum sit actus Spiritualis: sed
debet recurrere ad Superiorem Prælato, cui
competit Jus conferendi, vel instituendi.
Neque talis dici potest redimere vexam;
cum non det pecuniam pro redimenda vexa-
tione Juris Spiritualis jam quæsiti, sed quæ-
rendi primum. In secundo casu pariter eti-
am pro Possessione Beneficii jam obtenti ac-
quirenda non debet aliquid Temporale dari
ex pacto; cum Possessio saltem sit conjun-
cta cum exercitio Juris Spiritualis, cui est
annexa. Pro annexis autem Spiritualibus
absque Simonia nil solvi potest.

17.

Ita apud Pirhing l. cit. sentit etiam Abb.
in c. cum in Ecclesia. cit. n. 1. & 2.

Conformiter ergo ad hanc doctrinam non
potest ab eo, qui de novo receptus est in
Canonicum, pro admissione ipsius in Pos-
sessionem Canonicatus, vel Præbendæ, seu
Beneficii antè, vel post exigi, vel solvi ali-
quid Temporale, etiam modicum, v.g. pran-
dium, seu convivium, convertendum in uti-
litatem, vel commodum Canonicorum, vel
Beneficiatorum Ecclesiæ, sed id est Simonia-
cum, non obstante statuto, vel consuetu-
dine, etiam immemoriali,

18.

prout sumitur ex c. Jacobus. 44. fin. de
Simon. can. fin. caus. 1. q. 3. Gloss. fin.
hic, & Abbas ibid. n. 2. Garc. p. 8.
de Benef. c. 1. n. 83. Pirhing ad tit.
de Simon. n. 91. not. 1.

Ad 3. Solutio hujus Argumenti dependet
à quæstione, qua quæritur, quo Jure prohi-
bita sit Simonia, commissæ circa Beneficia
Ecclesiastica. Et quidem si pro collatione
Beneficii detur, accipiatur, vel exigatur ali-
quid Temporale præcedente pacto, & exa-
ctio, committitur Simonia Juris Divini,
& Naturalis.

19.

Ita

Ita teste Laym. *lib. 4. tract. 10. c. 8. q. 1. n. 44.* plerique Theologi.

Et hoc procedit etiam, licet in Beneficio Ecclesiastico contineatur Jus percipiendi Reditus temporales, quod secundum se pretio est æstimabile: nam neque quoad hoc Jus, quamdiu annexum est Juri Spirituali, & Titulo Beneficii, sine Simonia Juris Divini, & Naturalis vendi pretio temporali potest: in quo quidem discrepant plerique Canonista, quos etiam sequitur Less. *lib. 2. de Just. c. 35. n. 26.*

qui vendere Beneficium, quatenus præcisè est Jus percipiendi reditus temporales, simpliciter asserunt, esse tantum contra Jus humanum, & Ecclesiasticum. Alii verò distinguunt inter Beneficium Curatum, vel habens Jurisdictionem Ecclesiasticam, & inter Beneficium simplex. Prius si vendatur, dicunt, committi Simoniam Juris Divini; posterius verò si vendatur, ajunt committi Simoniam Juris Ecclesiastici. Quam sententiam plures tenent

apud Suar. *lib. 4. de Simon. c. 24. n. 20.*

20.

Sed communior, & verior est Sententia, Principio Num. præced. relata, scilicet committi Simoniam contra Jus Divinum, & Naturale, si vendatur Beneficium etiam simplex, etiam si vendatur solum ratione Juris percipiendi Reditus temporales, prout cum aliis asserit, & pluribus Juris Sacri Textibus probat

Pirhing *ad tit. de Simon. n. 75.*

Intelligendum tamen hoc est, quamdiu hoc Jus temporalium Redituum Spirituali Titulo, seu officio annexum manet: nam si Auctoritate Pontificia separetur à Titulo Spirituali, licitè vendi, & emi potest: quia tunc extinguitur Titulus Spirituales Officii, vel ejus obligatio, & sic nihil Spirituale venditur, & in emptorem transit, sed merè temporale.

21.

Quoad Missionem in Possessionem corporalem Beneficii, quando istud plenè quoad proprietatem nondum acquisitum, sed tantum Jus ad rem per præsentationem, vel electionem obtentum, aut ipsum Jus dubium, & litigiosum est, satis certum est, committi pariter Simoniam Juris Divini, & Naturalis, si pro capienda possessione, præcedente pacto, & exactione, detur, vel accipiat aliquod Temporale. Sequitur ex dictis Num. 7. quia tali casu justè negaretur Possessio, nec redimeretur duntaxat vexa, sed Jus Beneficii infirmum firmaretur, & conservaretur, interveniente pretio temporali.

22.

Similiter Simonia Juris Naturalis, & Divini videtur esse, quando pro admissione ad possessionem Beneficii, quoad proprietatem plenè obtenti, ex Pacto, & extra Casum, quo redimitur vexa injustè negantis admittere ad Possessionem, datur, vel exigitur Temporale: nam licet ipsa Possessio secundum se sit tantum aliquid temporale, tamen, cum hujus Possessionis nemo, nisi

Clericus, capax sit, illa inseparabiliter annexa est consequenter Juri Spirituali Beneficii. Et confirmatur etiam ex eo, quia, ut dictum est Num. 20. & cum aliis docet Laym. *lib. 4. tract. 10. c. ult. n. 67.*

Venditio Redituum Beneficii Ecclesiastici, quamdiu Jus illos percipiendi non separatur legitima auctoritate à Jure Spirituali Beneficii, Juri Divino repugnat. Igitur pariter, quando ex Pacto pro admissione ad Possessionem Beneficii datur, vel exigitur aliquid Temporale, ex eo præsertim, quia per immisionem in Possessionem Beneficiarius proximè præparatur ad percipiendos reditus Beneficii.

Contrà Simonia Juris Naturalis, vel Divini esse non potest, quando, quod datur pro Spirituali, vel non est Temporale, ut cum unum Beneficium permutatur cum altero Beneficio; vel Temporale quidem est, non tamen pretium commutationis, sed donum liberale. Primum prohibetur ab Ecclesia sub pœna Simonie, si fiat privata auctoritate, non requisito consensu Ordinarii. Secundi exemplum est

in Trid. *sess. 24. c. 18. de Reform.*

tubi Examinatoribus ad Beneficia prohibetur, ne quicquam prorsus occasione hujus Examinis accipiant, alioquin Simonia vitium tam ipsi, quam dantes incurrant.

Ex hæcenus dictis colligitur, quamvis nunc sit consuetudo, fueritque dudum, ut per pecunias obtineantur Beneficia Ecclesiastica, hanc tamen consuetudinem, si pro Collatione eorum, Præsentatione, Institutione, & Electione ad illa ex Pacto, & exactione aliquid temporale detur, vel accipiat, à Simonia non excusari: unde frustra se in talibus aliqui excusant, dicentes: hoc jam moris est; passim fit; faciunt alii &c. Ratio est: quia, ut dictum est Num. 19. Simonia, quæ hoc modo committitur, est Jure Divino, & Naturali prohibita: ab hac autem Simonia nulla consuetudo, vel usus excusare potest; quippe cum consuetudo, vel usus Juri Naturali, & Divino derogare non possit.

C. fin. de Consuetud.

Estque hoc verum, etsi talis Consuetudo sit longissimi temporis: quia pravæ Consuetudines tempore non firmantur.

Novell. 134. c. 1. §. neque verò angariis.

Pirhing *ad tit. de Simon. n. 42. la*

Croix lib. 3. p. 1. n. 191.

Proceditque hoc, etiam si consideretur Beneficium duntaxat quoad Jus percipiendi Reditus temporales, quamdiu hoc Jus temporalium Redituum annexum est Titulo, seu Officio Spirituali: nam ut dictum est Num. 19. & 20. quamdiu hoc Jus Titulo, & Officio Spirituali annexum manet, juxta communiorē Doctrinam, si pro hoc Jure, sic considerato, ex Pacto detur, accipiat, vel exigatur aliquid Temporale, committitur Simonia Juris Divini, & Naturalis, consequenter

ter talis datio, & acceptio nulla consuetudine legitimari potest. Neque obstat, quod Jus percipiendi Reditus temporales secundum se sit pretio aestimabile; nam illud ex prima Beneficiorum institutione ita connexum, & fundatum est in Spirituali Officio, ut non nisi ob illud, seu ratione illius alicui possit competere; datur enim Beneficium, seu proventus Ecclesiastici, tanquam debitum Stipendium propter Officium, seu Ministerium Spirituale: consequenter, si alicui vendatur Jus Redituum Beneficialium, venditur etiam illi Jus Spirituale exercendi Officium; cum sine illo Stipendium Ecclesiastici Beneficii nec esse, nec intelligi possit. Cui consonat Regula Paschalis Papae

Can. 7. caus. 1. q. 3. ibi: Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum inventum delinquit. Laym. lib. 4. tract. 10. c. 8. §. 5. n. 44.

26. Pariter nulla consuetudine excusari potest, quando pro capienda Possessione corporali Beneficii nondum plene acquisiti, aut ubi Jus ad illud dubium, vel litigiosum est, praecedente pacto, vel exactione, datur, vel accipitur aliquid temporale; nam, ut dictum est Num. 21. in hoc Casu certum est, committi Simoniam Juris Divini, & Naturalis. Aliud est, si post obtentum Jus plenum Beneficii, idque indubium, & minime litigiosum, illud obtinens injuste impeditur a capienda Possessione; tunc enim juxta dicta Num. 6. posset sine Simonia redimi hac vexatio. Idem videtur dicendum, quando pro admissione ad Possessionem Beneficii, quoad proprietatem jam integre, & plene obtenti, extra casum, quo redimitur injusta vexatio, ex Pacto, cum eo inito, qui dare Possessionem deberet, huic datur, vel ab illo exigitur aliquid Temporale: nam juxta dicta Num. 22. talis Datio, vel exactio videtur esse Simonia Juris Divini, & Naturalis, ob rationem loco citato additam.

27. Et esto, quod ejusmodi Datio, vel exactio in aliquo, vel pluribus casibus ex hactenus recensitis non foret contra Jus Naturale, & Divinum, est tamen contra Jus positivum, & consuetudini ex Pacto dandi, vel exigendi aliquid Temporale constanter reclamant Ecclesia partim per damnationem Propositionum, quae tali consuetudini favent, partim per Responsum, quae quotidie dat Curia Romana; quando enim interrogatur, semper declarat, ejusmodi facta esse Simoniacae: imo rarissime dispensat, sed praecipit dimitti Beneficia, & restituere omnes fructus perceptos,

prout notat la Croix lib. 3. p. 1. n. 194.

Et hinc Pirhing. ad tit. de Simon. n. 91. Leuren. p. 3. q. 748. la Croix p. 1. tit. n. 87. & 91. & apud hunc Abb. Garc. Less. cum aliis indistincte docent, esse Simoniam, etiam pro

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

admissione ad Possessionem Beneficii ex pacto dare, vel exigere aliquid Temporale; non obstante statuto, vel consuetudine etiam immemoriali.

Et colligitur ex c. Jacobus. 44. de Simon. & Trid. sess. 24. c. 14. de reform.

Et hoc verum est, etiamsi temporale non detur in pretium, sed in sustentationem duntaxat; nam

ut Palao tract. 17. D. 3. p. 12. n. 9. ait,

certum est, Capitulum, aut alios Praelatos nihil omnino posse exigere pro Collatione, Electione, Institutione, vel Possessione concedenda non solum in pretium, sed neque in Sustentationem Canonicorum, vel aliorum Collatorum. Idque sub poenis Simoniacorum,

prout statuit Trid. sess. 24. c. 14. non obstantibus quibuscumque Statutis, Constitutionibus, & Consuetudinibus, etiam immemorialibus; & allatis pluribus Doctoribus, & Decisionibus probat

Garc. de Benef. p. 8. c. 1. n. 75. & 83.

Imò S. Pius V.

ut refert Less. lib. 2. c. 35. n. III.

in Bulla sua, incipit, *Durum nimis*. publicata Cal. Jun. 1570. declaravit, Episcopum, qui aliquid (etsi dulciaria duntaxat) exigit in receptione alicujus in Canonicum, esse suspensum a Pontificalibus, & Capitulum, talia exigens, subjacere Interdicto; Saeculares autem Personas Sententiae Excommunicationis reservatae: & eos, qui sic aliquid acceperint, teneri ad restitutionem accepti.

Et extenditur hoc, etiamsi, quod hac occasione accipitur, sit modicum quid; nihil enim temporale, etiam modicum, v. g. prandium, vel convivium, convertendum in commodum, vel utilitatem Canonicorum, vel Beneficiorum Ecclesiae, ab eo, qui de novo receptus est in Canonicum, pro admissione in Possessionem Canonicatus, vel Praebendae, seu Beneficii, non obstante Statuto, vel consuetudine, etiam immemoriali, sine Simonia ante, vel post ejusmodi admissionem exigi, vel solvi potest,

prout sumitur ex *Can. fin. caus. 1. q. 3. c. Jacobus. 44. de Simon.* Et post Gloss. Abb. & alios docet Garc. de Benef. p. 8. c. 1. n. 83. Less. lib. 2. c. 35. n. III. Pirhing. ad tit. de Simon. n. 91. not. I.

Dixi autem, si exigatur aliquid ex pacto, & convertendum in commodum, & utilitatem Canonicorum, & Beneficiorum Ecclesiae. Nam 1. Excipitur, si Temporale, quod accipitur, sponte fuerit oblatum; tunc enim committitur ad summam Simoniam Juris Ecclesiastici, ob prohibitionem Ecclesiae, quae vetat occasione Collationis Beneficii accipi aliquid Temporale a Collatoribus, etiamsi quid sponte offeratur,

ut declaravit S. Congreg. Concil. Trid.

N n n

apud

28.

29.

30.

apud Fagn. in c. 1. de Simon. n. 31. Pirhing *ibid.* n. 19. *ψ. illud.*

Consequenter in Casu hoc, quo aliquid Temporale datur tempore receptionis ad Canonicatum, vel aliud Beneficium, non ex obligatione, & citra exactiōem, sed sponte, & liberaliter, nullōque pacto interveniente,

ut cum Gloss. in c. dilectus. 30. & in c. tuanos. 34. *ψ. purè consentiant. de Simon.* docet Pirhing. *ad dict. tit. n. 91. not. 2.*

non potest damnari talis consuetudo, & praxis, etiamsi datum ad usus proprios accipientium applicetur.

31. Excipitur 2. Si Lege Statutum, vel Consuetudine receptum sit, ut Temporale, quod accipitur, applicetur ad Usus pios; tunc enim, si tale quid non exigatur prius, quam liberè præstita sint Spiritualia, neque hæc denegentur, si nihil detur,

juxta Abb. in c. Jacobus. 44. de Simon. n. 3. Barbof. *ibid.* n. 7. & ult. Azor *lib. 12. c. 11. q. 6.* Pirhing n. 91. *cit. not. 2.*

nulla committeretur Simonia accipiendo, vel dando; Et videtur colligi ex Trid.

Sess. 24. c. 14. de reform.

ubi tamen notandum, id solum procedere, si ita inductum consuetudine antiqua sit; nam, prout ad dictum Concilii Decretum Sacra Congregatio censuit, non potest fieri de novo Statutum, ut aliquid solvatur à noviter recepto etiam in pium usum, veluti pro Fabrica, vel Sacrificia, nisi fuerit per certam scientiam à Pontifice approbatum, & confirmatum,

prout tradit Navar. c. 101. *ψ. 11.* Gutier. *QQ. Canon. libr. 1. c. 19. num. 28.* Garc. p. 8. c. 1. n. 87. & 88. Pal. p. 12. n. 9. *ψ. deinde tradunt.*

32. Excipitur 3. Si non intuitu collati Beneficii, sed laboris in danda Possessione Beneficii, & actis illius habiti, aliquid Temporale petatur à Notariis, & aliis Officialibus; nam hi; etiamsi illis salarium constitutum sit, pro hoc suo labore mercedem possunt accipere,

ut notat Garc. p. 8. de Benef. c. 1. n. 80. Palao *tract. 17. D. 3. p. 12. n. 9. ψ. 11.* & alii.

Rationem dat Garc. *loc. cit.* quia Decreta S. Congregationis non loquuntur de Possessione, nec in ea est tanta ratio, ac in collatione, seu alia dispositione ipsius Beneficii: quod tamen Garcias relinquere se dicit Decisioni S. Congregationis. Ex eadem ratione laboris Nicolart

apud La Croix *lib. 3. p. 1. n. 88. in fin.* non improbat, si Capitulum ab illo, qui promovetur ad Beneficium aliquid petat propter molestias Congregationum, lecturam Literarum &c. quæ in negotio haberi, & fieri debent; merito tamen monet, id non faciendum.

Imò licet S. Synodus Trid. *Sess. 24. c. 14. de reform.*

mandet Episcopis, ut, quæcunque in usus pios non convertuntur, & ex consuetudine, vel Statuto occasione receptionis ad Canonicatum, vel aliud Beneficium accipiuntur, id fieri non permittant, sed consuetudinem hujusmodi aboleant, Lessius tamen

Lib. 2. c. 35. n. 111.

dicat, Decretum hoc passim non observari: quam consuetudinem, præsertim in Germania etiam damnare non audet Pirhing

ad tit. de Simon. n. 91. not. 2.

cum toleretur ab Episcopis, imò ab ipso Papa, quem tam generalem consuetudinem, qua præsertim in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis in Germania nunc receptum est, ut novi Canonici convivium dare, imò certam pecuniæ summam persolvere Capitulo debeant, ignorare, non est verisimile: quod præsertim locum habet, ubi recepta non est Constitutio Innocent. XII. incipit *Ecclesia Catholica.*

quæ refertur à La Croix *lib. 4. n. 671.*

Ubi verò recepta est hæc Constitutio, & præsumi non potest scientia, & tolerantia Episcoporum, & Papæ, Simonia est, si Canonicus pro admissione in Possessionem cogatur solvere aliquid Capitularibus, vel instituire convivium, aut dare aliquid pro Statutis: quia tales consuetudines, & statuta esse iniqua, & scandalosa declarant Trident. S. Pius V. Clemens VIII. & Innocent. XII. per Constitutionem relatum. Hinc in talibus locis, ubi vel nunquam introducta est hujusmodi consuetudo, vel per Episcopos locorum Ordinarios abrogata, observanda sunt allegata Constitutiones, neque aliquid pro immisione in Possessionem potest exigi, conformiter ad id, quod jam pridem *c. in tantum. 36. de Simon.*

Archi-Episcopo Cantuariensi rescriptis Innocentius III. ubi Eidem mandat, ut pravam consuetudinem in sua Provincia studeat extirpare, secundum quam Archi-Diaconi Marcam argenti pro Investitura Ecclesiarum, seu immisione in earum Possessionem Corporalem exigebant; alii verò minores, ut Decani rurales, vaccam sibi dari postulabant, vel certam pecuniæ summam pro vacca: quam exactiōem *loc. cit.* Pontifex illicitam esse ait, & ut talem prohibet. Rationem prohibitionis dat Pirhing

ad tit. de Simon. n. 38.

quia Investitura Ecclesiarum est aliquid Spirituali annexum; cum ex Spiritualibus dependeat, & non competat, nisi habenti Officium Clericale. Exigere autem Temporale pro Spirituali, vel ei annexo, est Simonia.

S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4.

de annexis enim idem est iudicium. Ex hoc usque deductis patet Solutio propositæ primæ Questionis.

35. Hæc fieri debet ope distinctionis. Vel enim in Casu præfenti Ordinario à Papa commissa est pura Immissio Titii in Possessionem, & ipsi Titio jam plenum Jus quoad proprietatem Canoniciatus Quæstionis concessum à Papa, vel, ut sæpè confuevit, demandata ipsi etiam est institutio in dictum Canoniciatum? Si hoc secundum, juxta dicta Num. 17. indubitato commissa est Simonia. Neque excusari Titius à culpa hac potest prætextu Statuti, vel Consuetudinis in Ecclesia Quæstionis receptæ: quia secundum dicta Num. 24. si pro Collatione, vel Institutione in Beneficio detur, accipiat, vel exigatur aliquid Temporale, committitur Simonia Juris Divini, & Naturalis, contra quod nulla prævalere consuetudo, etiam longissimi temporis per dicta Num. 24. potest. Et hoc verum est juxta dicta Num. 19. etiam si Beneficium consideretur, ut continens Jus percipiendi redditus temporales: nam licet hoc Jus secundum se pretio sit æstimabile, tamen, ut dictum est Num. 20. pro eo Jure, quamdiu annexum est titulo, & officio Spirituali, pretium dari sine Simonia, & quidem Juris Divini, & Naturalis non potest: consequenter neque sub hac consideratione per dicta Num. 25. talis datio consuetudine justificari potest.

36. Si primum, & Titius, solutos à se Capitulo ducentos, & octo Imperiales tantum dederit pro capienda Possessione Canoniciatus, à Papa obtenti, ad quam aliàs non fuisset admittus; neque hoc modo salvare dationem hanc suam à Simonia poterit. Licet enim, ut dictum Num. 6. quando quis Beneficium quoad proprietatem jam plenè obtinuit, & ab ejus Possessione capienda impeditur injustè, sine Simonia periculo redimere vexationem sibi illatam pecuniâ possit: aliud tamen est, quando, ut in casu præfenti juxta Speciem Facti Num. 1. contingit, Beneficii collati Jus non est plenum, sed dubium, & litigiosum: nam tunc per dicta Num. 7. committeretur pariter Simonia: quia tali casu justè negatur Possessio, nec redimeretur duntaxat vexatio, sed Jus Beneficii per Possessionem firmaretur, & conservaretur, interveniente pretio temporali: consequenter committeretur Simonia; quæ, licet secundum aliquos tantum sit Juris positivi, & Ecclesiastici, tamen quia constanter reclamatur Ecclesia, consuetudo aliquid dandi ex pacto, & exactione pro admissione ad Possessionem juxta dicta Num. 27. & duob. seqq. prævalere, etiam si modicum quid detur, si convertatur in commodum Canoniorum, vel Beneficiariorum Ecclesiæ, nullatenus potest.

37. Reperiuntur quidem apud DD. Num. 30. & duob. seqq. allegatæ exceptiones, in quibus licet aliquid temporale occasione collatæ Possessionis, vel etiam ipsius Beneficii accipere, & 1. Quidem, si statuto, vel consuetudine antiqua receptum sit, ut Tempora-

le, quod accipitur, applicetur ad usus pios. 2. Si temporale non ex obligatione, & citra exactionem, sed spontè, & liberaliter detur. 3. Si non intuitu Beneficii, vel Possessionis ejusdem, sed laboris, in ea danda habiti, aliquid Temporale detur &c.

38. Ex his tamen Exceptionibus Titio nulla favet. Non prima: quia datum ab ipso non intenditur pro causis piis, sed obvenit ipsi Capitulo in usus proprios. Non secunda, quia ducenti, & octo Imperiales non dati sunt ab ipso spontè, & merè liberaliter, sed mediante exactione, & aliàs ipse non fuisset admittus ad Possessionem; & insuper Jus ad Beneficium non fuit certum, sed litigiosum. Quoad tertiam exceptionem pecuniæ summa, quam Titius solvit, est valde magna, præsertim considerata poenâ centum Marcarum auri puri, sub qua se obligavit ad non repetendam pecuniam: proinde præsumi Consensus Episcopi, & Papæ non potest, præcipue si quoad hoc Tridentinum, & aliæ Constitutiones Num. 33. & seq. allegata, in Diocesi Quæstionis sint usu receptæ. Dicendum igitur, Titium, dum solvit dictum numerum Imperialium pro statuto Capituli, commisisse Simoniam, nulla consuetudine excusandam.

39. Neque bona fides Titium excusare posse videtur, quippe quam defuisse colligitur ex modo, quo admissionem ad Possessionem capiendam obtinuit, scilicet solvendo pecuniam petitam pro Statuto, addita cautione poenali, se hanc pecuniam non repetiturum quocunque casu, etiam si fortè Præbenda hæc per alium evinceretur. Eandem malam fidem ostendit finis ab eo intentus; ideo enim, nondum obtentis super Beneficio sibi collato Bullis, properavit impetrare immisionem in Possessionem, ut hanc præriperet Cajo, hujusque causam difficiliorem redderet.

40. Accedit, quia per Bullas Julij II. Julij III. S. Pii V. & Regulam Cancellariæ quæ est 27. Clementis XI. severè prohibetur, ne detur Possessio sine Bullis, cum Decreto, si contra factum fuerit, illud irritum fore. Verba Regulæ allegatæ sunt: *Item cum ante consecrationem Literarum Gratia Apostolica sit informis, voluit Sanctissimus, quod Judices - - quicunque - - non juxta supplicationum signaturarum super quibusvis impetrationibus - - sed juxta Literarum, super eisdem impetrationibus, & concessionibus consecrarum tenores, & formas judicare debeant, decernentes irritum &c.* Dicitur verò, ut ad dictam Regulam addit Plettenberg Num. 11. Gratia informis sine Literis: quia per Literas formam accipit, & sine illis est quasi homo in utero Matris conclusus, donec per expeditionem Literarum in publicum edatur. Proinde Executor non nisi Bullis expeditis Gratiam exequi potest. Quare etiam si Simonia non esset in hoc Casu commissa, etiam in hoc peccavit Titius, & irrita facta est admissio ad Possessionem

Canonicatûs, dum eandem, non obtentis Bullis, obtinuit à Capitulo, & similis, vel majoris adhuc culpæ reum se fecit Capitulum, dum Possessionem Titio dedit, quippe quod scire potuit, & etiam debuit per allegata Decreta Pontificia, ad solas Literas, pro impetratione Gratia oblatas, licet signatas à Pontifice, sine Bullis Gratiam executioni dari non posse.

QUÆRITUR II.

An, & quas pœnas incurrerit Titius, solvendo pecunias, à Capitulo pro Statutis ab ipso petitis?

41.

Plures sunt pœnæ statuta in Jure contra obtinentes, & conferentes Beneficia Ecclesiastica per Simoniam. Et i. Quidem sic ea obtinentes, & ij etiam, à quibus, & quorum mediatione, vel cooperatione ita obtinentur, ipso Jure, & facto incurrunt Excommunicationem,

Extrav. cum detestabile. 2. §. per Electiones. Et §. statuentes. de Simon. Et Bulla S. Pij V. incipit quamprimum. edita Calend. April. 1566.

modò Simonia hæc utrinque sit completa. Adeoque incurrunt illam etiam Mediatores, Parentes, Amici, & omnes illi, qui suam operam interponunt, ut Beneficium Simoniacè obtineatur,

ut constat ex *Extrav. & Bulla S. Pij V. cit.* Et teste Pal. *tract. 17. D. 3. p. 25. n. 2.* docent omnes.

Estque Excommunicatio hæc reservata Papæ, nisi delictum sit occultum; tunc enim ab ea absolvi possunt Episcopi vi Trid. *Sess. 24. c. 6. de reform.*

Et Mendicantes vi specialis Privilegii.

Less. lib. 2. de Just. c. 35. num. 137. Suar. l. 4. de Simon. c. 61. n. 4. Palao D. 3. cit. p. 28. n. 2. Barbol. in Extrav. cit. n. 6. & 15.

Et hoc procedit, etiam si Simonia sit commissa in parva quantitate, seu modico pretio, cum & ista sit peccatum mortale, adeoque capax pœnæ Excommunicationis.

Less. c. 35. cit. num. 137. Suar. c. 56. n. 6. Pirh. tit. de Simon. n. 157.

42.

Nomine Beneficii autem, quoad hanc, & sequentes pœnas hic intelliguntur Beneficia propriè dicta, sive secularia, sive Regularia, qualia sunt Regularium Prælaturæ, quæ non consistunt in nuda Commissionè ad nutum revocabili, sed in munere Ordinario, ut sunt Generalatus, Abbatis, Præpositura, Prioratus &c. non verò Pensiones, Vicariæ Temporales, Munus Inquisitoris, Legati, Delegati: quia non sunt Beneficia propriè dicta. Et hinc, etsi Simoniam committat, qui emit, aut vendit Pensionem Spiritualem, aut Vicariam Temporalem, non tamen Excommunicationem, vel alias pœnas mox referendas contrahit,

ut notat Navar. *man. c. 23. num. 117. Suar. l. cit. c. 57. num. 45. Less. c. 35. n. 137. Palao p. 25. n. 1. & alii.*

2. Electio, Confirmatio, Institutio, & quævis alia Provisio ad Beneficium est ipso Jure nulla, ita, ut per eam provifus nullum Jus consequatur.

Extrav. cum detestabile. cit. §. per electiones. Garc. p. 8. de Benef. c. 1. num. 3. Suar. c. 57. cit. num. 22. Less. c. 35. n. 137. Laym. lib. 4. tract. 10. c. 8. n. 72. Barbol. in Extrav. cit. num. 5. Palao p. 25. cit. n. 3. princ. Vallens. ad tit. de Simon. §. 4. n. 10.

Et hoc adeò verum est, ut Possessorialis Beneficii, etiam per vim spoliatus, non restituitur: quia non habet in illo titulum coloratum, qui desideratur in Spiritualibus juxta Regulam *c. Constitutis. 1. de eo, qui mittit in Possess. Gonzalez in 12. de Simon. n. 6.*

Neque etiam defenditur regulà de trienniali Possessione; cum in eadem expressè exceptus sit. Ibi: *absque Simoniacò ingressu.*

Clariss. P. Schmier. p. 2. de Delict. c. 1. num. 131.

Dixi autem, talem Electionem, Institutionem &c. ipso Jure esse irritam, scilicet Ecclesiastico. Nam Jure naturali spectato, esset valida.

ut notat Suar. *lib. 4. de Simon. cap. 57. n. 11. & seqq. Pirhing de Simon. n. 92. & hoc teste à DD. plerisque supponitur.*

Ratio est: quia non obstante Simonia, ex parte conferentis adest voluntas, & potestas vera conferendi, & ex parte recipientis etiam intervenit consensus voluntatis ad illud recipiendum: ergo spectato Jure Naturali, tam Collatio, quam Acceptatio valida est; neque enim propter peccatum Simonia vi Juris Divini, & Naturalis recipiens fit incapax ad accipiendum, aut dans ad conferendum. Neque obest, quòd Christus Spiritualia præcipiat gratis dari: nam hoc præcepto solum modus dandi præscribitur: qui modus Jure naturæ ad substantiam non pertinet, quippe quæ consistit in voluntaria datione, & acceptione. Requiritur autem hoc præcepto, ut Spiritualia gratis dentur, propter decentiam, & Sanctitatem rei, quæ datur, ut dignè tractetur; adeoque hic modus est solum accidentalis, & extrinsecus. Sicut ergo Jure naturæ spectato, Simonia non impedit consensum dantis, & accipientis, ita nec ejus effectum, qui est translatio, & acquisitio Beneficii Simoniacè accepti.

Suar. c. 57. cit. n. 16. Confirm. à pari. Nam licet lex Naturalis, & Divina præcipiat mutuum gratis dari, nihilominus tamen, si quis emat mutuum solvendo usuras, verè acquirit dominium pecunie mutuatæ.

Suar. l. cit. n. 19. Pirhing n. 92. cit. Poth.

45.

Porro hæc nullitas, Jure Ecclesiastico introducta, locum habet 1. Etiam si in Electione ad Beneficium, vel Prælaturam unus tantum votum dedisset Simoniacæ, majori parte eligente sine Simonia,

ut rectè notant Joann. Andr. in c. nobis. 24. de Simon. num. 1. Ancharan. *ibid.* not. 2. Garc. p. 8. de Benef. c. 1. n. 10. Laym. c. 8. cit. n. 22. concl. 8. Barbof. in c. nobis. cit. n. 2. Fagn. *ibid.* n. 3. 4. & 16. Wagnereck in c. 27. not. 1. Matthæucc. Official. Eccles. c. 50. n. 4. & 5. Vallens. tit. de Simon. §. 4. n. 11. & sic quoque. Honor. dist. tit. n. 29. Reiffenst. *ibid.* n. 137. & decidit Rota apud Farinac. *decis.* 22.

Idem dicendum de Præsentatione, si hæc fiat à pluribus Jure Communitatis: secus est, si fiat ab ipsis, ut singuli sunt; cum enim tunc tot sint Præsentationes, quot Patroni, una Præsentatio Simoniacæ facta non inficit aliam, nec influit in illam.

Barbof. Fagn. Wagn. Vall. Honor. Reiffenst. *loc. cit.*

46.

Procedit 2. Etiam si Simoniam non ipse promotus, sed ipso ignorante Parentes ejus, cognati, Amici &c. commississent, nisi hoc fuisset factum in fraudem, & ad Præsentatum &c. reddendum inhabilem ad Beneficium; tunc enim sustinetur Provisio, ne perverforum malitiis, quam innocentum meritis plus tribuatur.

Suar. c. 57. cit. num. 33. Less. c. 35. n. 143. Laym. c. 8. n. 73. Pal. p. 25. n. 2. Pirhing à n. 95. König *tit. de Simon. n. 24.* Et patet ex c. insinuatione, 26. de Simon. c. nobis. 27. eod. Et Extrav. cum detestabile. cit. & per electiones.

Hinc, qui sic Beneficium per Simoniam ab alio factam, ipso ignorante, obtinuit, non potest illud bonâ conscientia retinere, sed tenetur resignare, hoc est,

ut Pirhing n. 96. explicat,

Possessione illius cedere. Idem à fortiori Procedit 3. De eo, qui scivit, ab alio datum iri pecuniam, & non in fraudem illius. Ubi tamen est distinguendum: nam si iste ante collationem expressè contradixit, non vitatur, sed valida est collatio Beneficii, etsi alter, ipso contradicente, in Simoniam pergat, eaque mediante Beneficium revera obtineatur.

c. sicut. 33. de Simon.

Secus est, si non contradixit, vel contradixit quidem, sed, postquam scivit, quòd alter non obstante contradicente, & protestatione sua pergeret, Beneficium sic obtentum acceptet. Nam sic acceptando videtur in re approbare Simoniam, & consentire in illam, non obstante protestatione sua, quæ contraria facta est.

Suar. n. 29. Less. n. 143. Pal. n. 3. Pirh. n. 103. *loc. cit.*

Similiter à protestatione sua recessisse cense-

tur ille, qui ante Beneficium, ab alio pro se Simoniacè obtentum, refundit pecuniam ei, qui solvit, ut habetur c. sicut. cit.

3. Sic promotus Simoniacè ad Beneficium tenetur fructus, ex Beneficio ita obtento comparatos, restituere: quia ex re aliena non bonâ fide percepti fuere: consequenter restituendi sunt ante Judicis sententiam.

Ita Riccius *prax. p. 1. resol. 633.* Suar. c. 57. num. 25. Less. c. 35. num. 174. Laym. c. 8. n. 78. Barbof. in Extrav. cum detestabile. cit. n. 5. Matthæucc. Official. Eccles. c. 50. n. 15. Zœl. ad tit. de Simon. num. 103. Pirhing *ibid.* n. 164. König num. 24. Reiffenstuel n. 288. & alii cum S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 7. & statutum est Extrav. cit. & per electiones.

ubi tamen distinguendum est, an Simonia commissâ sit ab ipso Beneficiario, an ab alio; & si ab alio, an ipso sciente, & contradicente, an verò contrâ. Nam si ab ipso Beneficiario commissâ est Simonia, vel ab alio ipso sciente, & non contradicente; procedit, quòd modò dictum est, & ad fructuum restitutionem ille tenetur; cum bonam fidem, & titulum, in quo Jus percipiendi fructus Beneficiales radicatur, non habeat, consequenter suos illos non faciat. Proceditque hoc non tantum quoad fructus extantes, sed etiam quoad consumptos; imò tali casu restitui debent etiam fructus, qui percipi potuissent à quolibet Possessore: quia cum prædonis locò habeatur, semper dicitur esse in mora, & ad omnia damna tenetur.

Gonzal. in c. 12. de Simon. n. 6.

Si verò Simonia commissâ est ab alio, Beneficiario ignorante, Fructus quidem, quamdiu is manet in bona fide, ut alius bonæ fidei Possessor, lucratur; quia Collatio est valida: sublatâ tamen ignorantia, si qui extant, restitui debent; cum dominium illorum Possessor tantum revocabile nactus sit. Quòd si tamen cum bona fide per triennium in pacifica Possessione persistit, defenditur Regulâ de Triennali, adeò, ut triennio illo elapso, nec Fructus, nec Beneficium restituere obstringatur.

Garc. de Benef. p. 8. c. 1. n. 15. Suar. c. 57. n. 36. Less. c. 35. n. 140. & quarto. Pal. p. 25. n. 3. Antonell. de Regim. Eccles. lib. 6. c. 18. n. 6. Gonzal. ad c. 12. de Simon. n. 6. & alii passim.

Porro Fructus, quos Simoniacè ingressus in Beneficium mala fide percepit, restituendi sunt vel Ærario Apostolico; unde super illis fieri potest compositio cum Pontifice, vel Ecclesiæ, aut in ulus pios,

ut docet S. Thom. art. 6. cit. ad 4.

vel etiam Successori,

ut docet Navar. lib. 5. Consl. 62. de Simon.

intellige, ubi est Consuetudo, ut Fructus Beneficii vacantis dentur Successori,

ut notat Less. c. 35. cit. n. 174.

Nnn 3

Resti:

48.

49.

50.

51.

4. Restitui Jure saltem Ecclesiastico ante omnem Sententiam Judicis necessario debet pretium, pro Praesentatione, Collatione, Confirmatione &c. Beneficii, per Simoniam obtenti debet, quamvis forte nihil factum esset contra Justitiam.

Ita multis relatis docet Suar. *lib. 4. de Sim. c. 60. n. 3.* Less. *lib. 2. de Just. c. 35. n. 160.* Pal. *tract. 17. D. 3. p. 26. n. 4. & expresse deciditur c. de hoc. 11. de Simon. & ibi Gloss. & DD.*

Ait enim ibidem Pontifex Alexander III. scribens ad Toletanum Archiepiscopum: *Regem, & Principes ejus debes inducere, ut, si qua receperint à Prasato (Exoniensi) Episcopo, ut ejus Electioni praestarent assensum, Ecclesia Exoniensi sine diminutione restituant; cum ea sine gravi sua Salutis periculo retinere non possint.* Ratio est: quia Jus facit inhabilitatem acquirendi dominium: & re ipsa, etiam spectato Jure Naturæ, non videtur esse Titulus retinendi; cum temporale non possit esse pretium Spiritualis.

La Croix *lib. 3. p. 1. n. 237.*

Quod maxime procedit in Prælati: nam hi, cum non sint Domini Beneficiorum, sed Dispensatores duntaxat illorum, si conferant illa Simoniacè, faciunt injuriam, & committunt injustitiam, supposito, quod hæc in Simonia Juris Naturalis semper interveniat,

ut idem la Croix *p. 1. cit. n. 119.* probat,

consequenter tenebuntur semper ante omnem Sententiam Jure Naturæ ad restitutionem pretii, per Simoniacam Collationem accepti.

52.

Porro Restitutio hæc Jure Communi facienda est Ecclesiæ, in qua est Beneficium, ut manifestè constat ex *c. de hoc. supra cit.* & docet S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.*

nam hæc per Simoniacam Collationem injuriam passa est. Vel, si Superior ita velit, distribuendum est in pauperes,

ut notant Doctores cum S. Thom. *loc. cit.*

Imò fieri posse Restitutionem istam pauperibus ex Consuetudine recepta, tenent multi, allegati à Covarruv.

Reg. peccatum. p. 2. n. 6.

Antequam autem per Sententiam Simoniacus ad restituendum Ecclesiæ, vel Pauperibus condemnetur, Palao

tract. 17. D. 3. p. 25. n. 5.

dicit, non improbabile esse, pretium Simoniacum pro Foro Conscientiæ restitui posse illi, qui dedit.

Ita Sot. *lib. 9. q. 8. Art. 1.* Bannez. *2. 2. q. 32. art. 7.* Dian. *p. 4. tract. 4. ref. 167.*

Unde secundum horum Sententiam, licet Simoniacus pretium à se datum ob turpitudinem à se admittam, non possit repetere,

ut bene Covarr. *Reg. peccatum. p. 2. §. 2. n. 8.*

Si tamen Restitutio ipsi fiat, retinere illud juxta istos Doctores poterit.

Rationem hujus suæ benignæ Sententiæ præter alias assignant istam: quia dans Pretium, communiter non abdicat à se absolute illius Dominium, quippe cum illud nulla alia ratione intendat à se abdicare, nisi quatenus in Venditorem illud transferret: non autem illud transfert in Venditorem, quia incapax est: manet ergo Dominium Pretii apud ipsum. Neque obstare videtur *c. de hoc. cit.* per quod accipiens pretium Simoniacum jubetur restituere Ecclesiæ, consequenter videatur inferri inde posse, dantem ab Ecclesia privari pecuniæ datæ Dominio; nam hoc solum procedit, postquam accipiens per Sententiam Judicis condemnatus est ad Restitutionem faciendam Ecclesiæ, quippe cum Lex *c. cit.* prodita, sit Lex poenalis, quæ neminem ante Sententiam re sua privat. Dicunt ergo, ex *Textu cit.* solum inferri, quod Pretium hoc debeat restitui; eò quod non possit sine gravi salutis periculo illud retineri, non verò, quod necessario restitui Ecclesiæ debeat, nisi accipiens per Sententiam ad hoc condemnetur.

Sed,

ut Less. *lib. 2. c. 35. n. 171. §. contraria.* notat,

contraria Sententia, juxta quam etiam ante Sententiam Judicis pretium Simoniacum Ecclesiæ, vel Pauperibus restitui debet, est multò probabilior, & verior, eamque tenet S. Thom.

2. 2. q. 32. art. 7.

ubi dicit: *Pretium Simoniacum non esse restituendum danti, sed in Eleemosynam erogandum.* Consentit Sylv.

V. Simonia. q. 20.

ubi dicit: *Esse dandum Ecclesiæ, in cuius injuriam Simonia est commissa, nisi Episcopus, & Capitulum sit particeps Simonia; tunc enim dandum Pauperibus, vel alteri Ecclesiæ.*

Idipsum docet Covarr.

Reg. peccatum. p. 2. §. 2. n. 7.

ubi ait, hanc esse communem Doctorum Sententiam: & addit Less. *loc. cit.* sic sentisse omnes, qui fuerunt ante Sotum. Rationem inter alias dat Lessius: quia contra mentem Ecclesiæ est, ut pretium hoc restituatur danti: quia Ecclesia intendit utrumque, scilicet tam dantem, quam accipientem punire.

Neque obstat, quod Leges poenales non obligent ad poenam ante Sententiam: nam, ut *loc. cit.* respondet Lessius, quod accipiens teneatur rem illam, quæ sua non est, dare Ecclesiæ, vel expendere in Usus pios, non est propriè poena, sed simplex Præceptum. Cum enim non possit illam retinere, grave illi esse non potest, quod debeat illam tali modo expendere. Similiter non obstat, quod non sit ulla Constitutio Ecclesiæ, qua dans

dans hoc ipso, quod det, amittat Dominium : nam, ut iterum *loc. cit.* respondet Lessius, manere Dominium posse apud dantem, nec eum vi Legis immediate privari Dominio, sed actu, quo accipiens, qui jubetur pretium in Usus pios expendere, restituit illud ex Præcepto Legis Ecclesiae, vel expendit illud in alias Causas pias; Lex enim potest jubere, ut rem alienam, quæ apud te est, quando subest justa Causa, expendas in Pauperes, & hoc ipso, dum datur Pauperibus, prior Dominus amittit Dominium.

56. 5. Simoniacè obtinens Beneficium ad idem obtinendum pro ea vice inhabilis redditur.

Suar. *lib. 4. de Simon. c. 58. n. 9.* Garc. *p. 8. de Benef. c. 1. n. 56.* Less. *lib. 2. c. 35. n. 139.* Pirhing. *ad tit. de Simon. n. 170.* Engl. *ibid. n. 56.* Reiffenst. *dict. tit. n. 266.* & patet ex *c. si alicujus. 59. de elect. c. nobis. 27. de Simon.* & Bulla S. Pii V. incipit: *Cum primum.*

In hac inhabilitate, si Beneficium quodcumque scienter, vel duplex etiam ignoranter Simoniacè obtentum sit, solus Papa; si verò ignoranter obtentum ita sit Beneficium simplex, post liberam ejus Resignationem dispensare etiam Episcopus potest.

Laym. *lib. 4. tract. 10. c. 8. n. 73.* Pal. *tract. 17. D. 3. p. 28. n. 3.* Barbof. *in c. 22. n. 1. & 3.* Gonzal. *in c. 26. n. 3.* Vallens. *ad tit. de Simon. §. 4. n. 11.* Honor. *n. 19. circa med. Pirh. n. 173.* Wiestner *n. 91.* Reiffenst. *n. 336.* & seqq.

Quod saltem verum est in Casu, quo Electio, vel Collatio Beneficii per Sententiam fuit reprobata, vel irrita declarata; nam si per Sententiam in Foro externo reprobata non fuit Provisio hujusmodi Beneficii, etiam pro illa vice dispensare poterit Episcopus, ut quis Dignitatem quoque, aut Beneficium Curatum, per Simoniam alterius bona fide obtentum, retinere, vel potius de novo acquirere valeat, si prius illud resignet.

ut *loc. cit.* notant Pal. *n. 4.* Vallens. *n. 11.* quodsi. Reiffenst. *n. 337.*

Imò, si ignorantia fuerit inculcata, juxta eundem Vallens. *loc. cit.* neque opus est Dispensatione Episcopi; cum nulla subsit culpa, ob quam ea inhabilitas induci debeat.

57. An verò Simoniacus etiam ad alia Beneficia obtinenda ipso Jure reddatur inhabilis, quæstio fieri potest. Probabilius inhabilem ipso Jure ad alia etiam Beneficia obtinenda constitui Simoniacum indicat

Pal. *D. 3. cit. p. 25. n. 7.*

ob Constitutionem S. Pii V. incipit, *cum primum*, supra citatam, ubi Sanctissimus ait, talem Beneficii, per Simoniam acquisitis, ipso Jure privatum esse, & perpetuò inhabilem ad ea, & quæcumque alia obtinenda. Verum Navarr.

Conf. 92. de Simon.

existimat, inhabilitatem ad alia Beneficia, ipso Jure non incurri: quia in hac parte Constitutio allegata non est recepta. Unde in Foro Conscientiæ, & ante Sententiam, qua Simoniacus inhabilitatur ad alia Beneficia, à Simoniacè obtento distincta, si tale aliquod Beneficium ipsi conferatur, & aliud nil obstat, Collatio erit valida.

Consentit Suar. *lib. 4. de Simon. c. 58. n. 11.* Less. *lib. 2. c. 35. n. 147.* Pirhing. *ad tit. de Simon. n. 170.*

Nam & respectu Simoniacæ confidentialis ad inhabilitatem respectu aliorum Beneficiorum requiritur Sententia declaratoria Criminis.

6. Juxta aliquos Simoniacè recipiens Beneficium ipso Jure, & facto privatur etiam Beneficiis aliis, antea ritè, & legitime obtentis: quod desumunt

ex *c. inquisitionis. 21. de accusat.*

ubi in principio Simonia hujusmodi Retentionem Beneficii, etiam post peractam Pœnitentiam, dicitur impedire. Sed re vera hoc ex Textu *cit.* non evincitur: nam intelligendum hoc est de Beneficio Simoniacè obtento: quod inde colligitur; quia ibi comparatur Simonia cum homicidio, quod Beneficiis prius obtentis non privat ipso facto,

prout sumitur ex *c. Clericis. 5. ne Clerici, vel Monachi &c.*

Dicendum ergo, quòd Simoniacè recipiens Beneficium, si per ipsius culpam Simonia sit commissa, à Judice privari per Sententiam condemnatoriam possit Beneficiis, antea ritè, & legitime obtentis, Privationem tamen istam non ipso Jure, & facto incurrat.

Colligitur ex *Can. Presbyter. 3. caus. 1. q. 1. ibi: privetur. c. sicut. 6. & c. de hoc. 11. de Simon.* & communiter docent Doctores, nominatim Felin. *in c. infirmatum. 13. de Simon. princ.* Navarr. *Conf. 92. de Simon.* Ugolin. *tab. 4. de Simon. c. 6. §. 6. n. 3.* Suar. *lib. 4. c. 58. n. 6.* Laym. *lib. 4. tract. 10. c. 8. n. 74.* Pal. *tract. 17. D. 3. p. 25. n. 4.* Antonell. *de Regim. Eccl. lib. 6. c. 18.* Gonzal. *in C. 12. n. 4. de Simon.* Pirh. *ad dict. tit. n. 169.*

Ratio est: quia nullus reperitur in Jure Textus, per quem hæc Privatio ipso Jure, & facto inferatur: consequenter non censetur lata, nisi in ordine ad Sententiam Judicis, ex receptissima Sententia Theologorum, & Juristarum, juxta quam pœna, quæ privat Bonis, aut Juribus acquisitis, & legitime possessis, non solet tanto rigore per Legem ferri, ut quis teneatur ad illam in seipso exequendam ante Sententiam saltem declaratoriam criminis.

Hinc inferitur, etiam Casu, quo quis privatus est per Sententiam Beneficio, legitime antea obtento, sic privatum non hoc ipso privatum ceteri fructibus, quos ante Sententiam

58.

59.

tentiam ex eo percepit, nisi etiam horum Privatio in ipsa Sententia contineatur; quia aliud est privari Beneficio, aliud Fructibus; ac idcirco poena una non involvit alteram, & cum talis retinuerit usque ad Sententiam Jus in Beneficio legitime obtento, etiam eo usque Fructus suos fecit.

Suar. n. 8. Pal. n. 5. loc. cit.

Pari ratione, si is, qui legitime electus, aut presentatus est, per Simoniam obtinuit Confirmationem, vel Institutionem, non eo ipso irrita redditur Electio, vel Presentatio.

Less. lib. 2. c. 35. n. 138. Suar. l. cit.

n. 7. Pal. n. 6. & colligitur ex c. electionem. 39. de Elect. in 6.

Juxta quod, si Confirmatio propter defectum Solemnitatis, aut Potestatis in confirmante est irrita, non propter hoc Electio (si alias sit Canonica) intelligitur infirmari.

60.

An vero poenae hae Juris incurran. ut etiam ab iis, qui committunt Simoniam Juris tantum Ecclesiastici, controversum est inter DD. Negant quidam RR.

secuti Navarr. de restit. c. 2. n. 436. & Arragon. 2. 2. q. 100. art. 6. dub. penult.

Rationem dant, tum quia Canones, quibus poenae istae statuuntur, tanquam in materia odiosa, explicari possunt de sola Simonia Juris Naturalis, utpote quae secundum quosdam sola proprie dicta est Simonia; tum quia Jura, dum Permutationem Beneficiorum fieri propria autoritate vetant, & quae sit Simonia Juris tantum Ecclesiastici, mentionem non faciunt poenae ipso facto incurrendae.

61.

Sed communius, & longe probabilius incurruntur poenae Juris Communis etiam per Simoniam Juris Ecclesiastici tantum,

prout tenent Less. lib. 2. c. 35. n. 141.

& alii allegati per la Croix l. 3. p. 1. n. 213.

Ratio est: quia SS. Canones, dum detestantur Simoniam, eamque puniunt, indiscriminatim loquuntur, imò aperte comprehendunt etiam eam, quae est Juris solum Ecclesiastici,

ut patet ex c. quastum. 5. & c. cum olim.

7. de rer. permur. c. de hoc. 11. de Simon. multisque aliis caus. 1. q. 3.

praecipue vero

Extray. cum detestabile. 2. de Simon.

feruntur dictae poenae in eos, qui quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam commiserint; quique fecerunt quasvis Dispositiones, quas Simoniacae contigerit labe fieri. At qui certum est ex citatis Juribus, Pacta circa Beneficia, propria autoritate inita, etiam si tantum contra Legem Ecclesiasticam, daminari ut continentia labem Simoniae; & certum iterum est, Simoniam, quae committitur dando pecuniam pro Beneficio Ecclesiastico, reputari in Jure vere Simoniam contrariam Juri saltem Ecclesiastico; Ergo &c.

Ex quo cadit Ratio dubitandi allata in contrarium. Dicendum enim, etsi forte Simonia contra Jus Ecclesiasticum non sit vere; & proprie Simonia quoad culpam; ita tamen vocari, quod subijciatur poenis verae Simoniae: quae est responsio Durandi apud P. Friderich tract. de Simon. c. 5. n. 211. in fin.

Interim tamen etiam sententia negans incurri ullam poenam ipso Jure per Simoniam Juris mere Ecclesiastici,

juxta Less. lib. 2. c. 35. n. 141.

est probabilis, & secundum hanc il, qui v. g. propria Autoritate permutant Beneficia, quamvis graviter peccent, tamen habere le poterunt pro non excommunicatis, nec tenebuntur restituere Fructus. Excipiunt tamen omnes Simoniam Confidentialem: item, si detur aliquid etiam gratis Officialibus Episcopi occasione susceptorum Ordinum, Dimissorialium, vel Testimoniorum, ubi receptum est Tridentinum. Nam hoc

Sess. 21. c. 1. de reform.

expressè decernit, per hoc utrinque incurri ipso facto poenas Juris in Simoniacos.

la Croix lib. 3. p. 1. n. 213.

Excusatur praeterea à Simoniae peccato, & poenis 1. Si probabile sit, Simoniam non intervenisse; hinc enim,

ut la Croix l. cit. n. 195.

monet, non est, quod scrupulum sibi faciat; tum quia sequi potest Sententiam probabilem; tum etiam quia est in Possessione suae innocentiae, quam adhuc praesumere potest, quamdiu non rescit, se esse nocentem. Unde idem la Croix

n. 195. cit. cum Zypæo, & Diana, alii- que

rectè docet, quod quamvis secundum Jus etiam ille sit Simoniacus; qui non intelligit, se illicitum agere; si re ipsa committatur Simonia, tamen qui processit ex Autoritate Doctorum, excusetur à culpa & poena.

2. Si verum sit dubium, an commissa sit Simonia, nec ne? e. g. scis, datos esse centum Imperiales, sed nescis, an dati sint cum pacto aliquo, aut gratis, vel alio licito titulo, nec habes prudens motivum pro alterutra parte judicanda; in tali dubio poteris praesumere, non intervenisse Simoniam, quia delicta non praesumuntur, & innocentia est in possessione, donec probationes claræ, & convincentes afferantur.

la Croix n. 196. & apud hunc Suar.

Tambur. Pirh.

Subdit tamen idem la Croix n. 197. ubi verba sunt dubia, Ecclesiam praesumere Simoniam: in quo disparitas est inter hanc, & usuram, quae in casu, quo dubia sunt verba, à Jure Civili non praesumitur. Ratio disparitatis esse potest: quia usura non est ita communis, & habet plures causas excusantes; Simonia autem est communissima, nec sunt tales Tituli, qui excusent.

3. Si

65. Si Simonia sit tantum materialis, ita ut nec accipiens Beneficium, nec conferens, nec alius cooperans peccaverit, adeoque ex nulla parte commissi sit formalis Simonia, juxta Less. in *Auct. V. Simon. c. 4. & 5. Lug. resp. moral. lib. 6. D. 4. à num. 5.* apud La Croix *lib. 3. p. 1. n. 205.* non incurritur ulla poena, vel inhabilitas, sed provisio erit valida: quia nullitas provisionis est poena in odium delicti Simoniaci: ergo si ex nulla parte fuit delictum, nullitas non incurritur, multo que minus excommunicatio, ut cum Sa *V. Simonia n. 13.* notat La Croix *n. 205. cit.*

Secus est, si per tertium commissi sit formalis Simonia, ipso Privilegio ignorante, plerique DD. cum S. Thom. provisionem dicunt esse ipso Jure nullam, ita, ut quamprimum iste resciverit, statim teneatur vel petere Dispensationem, vel dimittere Beneficium, & restituere fructus perceptos, iis exceptis, quos bona fide consumpsit, vel qui respondent ipsi Ministerio, quales sunt Praesentia; hos enim fecit suos.

La Croix *l. cit. n. 210.* Ex haecenus dictis deducitur Responsio ad hanc secundam Quaestionem.

66. DICENDUM, quod Titius solvendo pecunias, à Capitulo pro Statutis ab ipso petitas, incurrit penas, contra Simoniacos latis. Nam 1. Licet ille pecunias istas solverit pro capienda Possessione Canonatus, à se obtenti, tamen Jus ad hanc ipse non habuit plenum, sed litigiosum, ut dictum est in Specie Facti *Num. 1.* consequenter non potest dici redemisse vexam, quippe cum justè potuisset ipsi negari Immissio in Possessionem; sed potius censetur voluisse sibi firmare, & conservare Jus Beneficii, interveniente pretio temporali: quod ex communiore DD. est Simonia Juris Divini, & Naturalis. Et esto, quòd

67. 2. Ut aliqui putant, hoc casu committeretur duntaxat Simonia Juris Ecclesiastici; quia tamen in casu, quo occasione Immissionis in Possessionem aliquid Temporale ex pacto, & exactione, ut in praesenti Facti Specie contingit, datur, Ecclesia semper reclamatur, nec contra hanc quidem ulla consuetudo valet: adeoque ex capite consuetudinis Titius excusari non potest. Insuper Titius allegare nequit ullam aliam causam excusantem ex tribus reliquis, *Num. 30. & seqq. relatis*, ut ostensum est *Num. 38.* Praeterea, ut *Num. 39.* dictum est, ex modo agendi, & procurandi Possessionem patet, in ipso Titio defuisse bonam fidem, dum, non obtentis adhuc Bullis, immissionem in Canonicatum Quaestionis petiit, & procuravit, & Caj colligantis secum de eodem Canonicatu, causam duriorum fecit. Proinde sequitur

68. 3. Praeter alias penas, hic relatas, Immissionem hanc fuisse nullam, nullumque Jus tribuisse Titio, & si quos fructus ex eo

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. 1.

percepit, illos restitutioni esse obnoxios, ipsumque Capitulum obligari ad restitutionem ducentorum, & octo Imperialium, eandemque pecuniam applicandam pauperibus, vel aliis piis causis, prout Judex Ecclesiasticus per sententiam justerit.

QUÆRITUR III.

An, si Cajus vi Indulti Pontificii, Canonatus Possessionem adeat, etiam ipse solvere Statuta debeat: item an ob mortem à Cajo factam Jus conferendi Canonatum redeat ad Episcopum?

69. PRO Responsione, facienda est distinctio. Vel enim Cajus per Provisionem Apostolicam Jus Spirituale Canonatus certum, & indubitatum quoad proprietatem acquisivit, vel adhuc illud incertum, dubium, & litigiosum est? Quòd incertum illud adhuc in Cajo sit, videtur inde erui 1. Quia motivum Provisionis Apostolicæ, in favorem Caj emanatæ, in dubium vocari voluit, & ideo ipse Cajus expectavit, donec trimestre intra quod, Provisionem à Pontifice esse factam, apparere debet juxta Concordata Germaniæ, elapsum fuerit. Et licet 2. Idem Cajus post elapsum hoc trimestre quinto mense eundem Canonatum à Sede Apostolica, conservando priora Jura sua, & ut verba Bullæ sonant, jura Juribus addeado, ex capite, quòd hic Canonatus per sententiam contra Titium latam specialiter Sedi Apostolicæ sit reservatus, conjunctim cum prioribus Juribus de novo impetrarit, tamen 3. Ordinarius Collator, ex reverso, ut putat, ad se Jure conferendi, elapso scilicet pridem trimestri, eundem Canonatum vult ipse conferre, & quidem non Cajo, nec etiam Titio, sed alteri tertio.

Suppono, Canonatum Quaestionis primum vacasse mense Papali; cujus indicium est, quòd pro illo sibi conferendo tam Titius, quam Cajus concurrerint ad Pontificem, qui tamen, si vacasset mense Ordinarii, ab ipso Ordinario potuisset conferri: pro qua Collatione in Beneficiis, quæ sunt intra Episcopatum, & Praelaturam Regularem lemestri statutum est.

c. nulla. 2. & c. quia diversitatem. 5. de concess. prab. c. licet. 3. & Clem. un. de supplend. neglig. Pralat.

70. Item non potest hic quaestio esse de Beneficio vacante in Curia; nam, ut Nicolarius *dub. 11. cit. §. 4.* Laym. in *c. statutum. 3. de prab. in 6. n. 5.* Wagnereck *ibid. §. demum.* Van Elpen *tit. 23. c. 3. num. 7.* Pirhing *ad tit. de prab. n. 332.* Engl. *n. 52.* Wiestner *n. 115.* Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 3. n. 202. & seqq.* notat,

Ordinarii Germaniæ, ut conferre possint Beneficia, quæ vacant in Curia, non tenentur

O o o

exspe

expectare trimestre, neque ipsis per Concordata ligantur manus, quò minus uti possint favore, per Jus commune *c. statutum. cit.* concessio reliquis Ordinariis: & hinc etiam ipsi casu, quo Pontifex Beneficium, in Curia vacans, intra mensem, à die vacationis numerandum, non contulit, per seipos, aut illis in remotis agentibus; per suos Vicarios Generales, quibus id Canonicè commissum fuerit, illa conferre poterunt. Ratio est: quia trimestre, per Concordata datum: spectat solum Beneficia, alternativè subiecta, & mense Apostolico vacantia in Germania, non autem ea, quæ in Curia ipsa vacant. Nec immeritò tempus longius sibi elegit Pontifex pro illis, quam pro istis; id enim factum est, quòd ex Germania ob distantiam non ita statim notitia Romam venire possit: quæ ratio in iis, quæ vacant apud Sedem, locum non habet; quippe quorum, cum vacant, notitia facile statim ad Papam venire potest.

72.

Jam in casu, quo Beneficium vacare incipit mense Papali, per Concordata §. *de cetero.* Pontifici datur trimestre, & si intra tres menses provisio non fiat Romæ, Ordinario libera potestas conferendi Beneficia, mense Papali vacantia, conceditur, non tamen ita, ut eum, qui fortè à Papa eo trimestri provisus est, excludat, sed sub conditione, si interea illud à Papa non sit collatum alteri. Hinc, ut turbatio vitetur, si duo hoc modo providerentur de Beneficio eodem, unus à Papa, alter ab Ordinario, ita provisus ab Ordinario, non est mittendus in Possessionem, sed ad aliquod tempus expectandum, intra quod etiam is, qui fortè ultima die dati trimestris Romæ à Papa provisus est, Gratiam Apostolicam publicare possit.

Schmier *l. 3. tr. 1. p. 2. c. 3. n. 260.*

73.

Ubi tamen distinguendum est, an Provisus à Papa intra trimestre prædictum Gratiam, sibi factam à Papa, Collatori Ordinario significare, aut eam in loco Beneficii culpabiliter publicare neglexerit, an verò inculpabiliter hoc factum sit, quia v. g. ita maturè facta non est, ut intra trimestre, aut ipse, aut Literæ Apostolicæ, Gratia factæ testes, in Germaniam venire possint. Si hoc secundum: ad eandem ita maturè publicandam non adstringitur.

Wagnereck *ad Concord. §. 3. V. subjungit.* Engl *ad tit. de Rescript. num. 23. ad 3.* Wiestner *ad tit. de Prabend. n. 112.* Schmier *c. 3. cit. n. 261.* & docet æquitas naturalis.

74.

Si primum, & culpabiliter omissa est publicatio intra hoc tempus, pœnæ arbitrarie quidem pro culpæ modo subiacet, Jure tamen suo non cadit: quia nullo Jure expressum est, quòd is, qui publicationem Gratia, sibi à Papa factæ, ultra tres menses culpabiliter differt, Jus sibi quæsitum amittat.

Chokier *ad reg. 8. gloss. 11. n. 5.* Pirh.

ad tit. de Prabend. num. 363. nor. 4. Wiest. *ibid. n. 113.* Schmier *n. 261. cit.*

Potest tamen hæc pœna, si negligentia valde gravis sit, & publicatio, justo impedimento cessante; ultra novem menses differretur, augeri usque ad privationem Beneficii per sententiam,

ut notat Wiest. *loc. cit.*

& meritò; nam pœna hæc Jure lata est in eos, qui intra novem Menses non publicant Beneficiorum Resignationes, & Resignatorum Collationes Apostolicas,

ut habetur Constit. Gregorii XIII. incipit: *Humana.* edita *Non. Jun. 1583.*

Igitur videtur pœna satis proportionata, si simili tempore culpabiliter negligatur publicatio Gratia, à Pontifice, mense Papali factæ, ut per sententiam inferatur.

In præsentis Casu Cajus non potest accusari de negligentia, commissa circa publicationem Gratia Apostolica, sibi factæ; nam 1. Canonicatus ipsi collatus, adhuc fuit litigiosus inter ipsum, & Titium, qui contendit, se immunem fuisse à crimine Simonia, dum pecuniam petitam pro Statutis Capitulo solvit, adeoque se Jure suo propterea non excidisse. Pròinde, lite inter hos duos durante, non potuit Cajus immitti in Possessionem ejusdem Canonicatus. 2. Hæc lis fuit agitata in Curia Romana, & ibi Auctoritate Apostolica contra Titium ob crimen Simoniaci ingressus Decreta privatio Juris ad Canonicatum Quæstionis, atque iste collatus Cajo. Atqui Beneficia, quæ per privationem, Auctoritate Apostolica factam, vacant, per Concordata. §. *placet.* reservata sunt Summo Pontifici; nam ibi Beneficium vacare intelligitur, ubi sit actus, quo inducitur privatio. Consequenter Jus conferendi non redit in hoc Casu ad Ordinarium. Et si redisset, 3. Non posset Canonicatum hunc ille conferre tertio, stante Jure Caj, qui providè egit, dum, ubi sensit, motivum Provisionis Apostolicæ, sibi primò factæ, in dubium vocari velle, eundem Canonicatum à Sede Apostolica, conservando priora sua Jura, & Jura Juribus addendo de novo impetravit. Oportebat ergo examinare hæc Caj Jura, antequam Ordinarius animum adjiceret ad conferendum Canonicatum hunc alicui tertio, quam Cajo, excluso etiam Titio. Interim verò standum pro collatione Cajo facta per Sedem Apostolicam, cujus valorem examinare non ad Ordinarium, sed ad Pontificem pertinet. His prænotatis ad distinctionem *Num. 69.* datam, & ipsam Quæstionem tertiam

RESPONDETUR, Jus Caj ad Canonicatum Quæstionis, omnibus consideratis, esse certum. Nam 1. Iste contra Titium in Curia Romana eundem evicit, eique à Pontifice collatus ille est. 2. Non apparet vitium ullum Collationis istius factæ Cajo: & licet ratione motivi, pro impetranda Gratia

Gratia Apostolica à Cajo allati, vellet Collationis valor in dubium trahi, vitium tamen nullum probatum est: & esto subfuisse, per alteram Provisionem Apostolicam, qua Pontifex eundem Canonicatum, Jura Juribus addendo, Cajo de novo contulit, sanatum illud fuisse. 3. Hac altera Collatione non fuit præjudicium factum Ordinario; nam, ut *Num. prac.* dictum est, non potest dici, quòd unquam conferendi potestas in casu subtrato fuerit devoluta ad istum, quippe cum lis inter Titium, & Cajum fuerit agitata Romæ in Curia, & ibidem terminata per sententiam, latam pro Cajo contra Titium. Proinde merito Capitulum eidem Cajo Possessionem Canonicatus, à Pontifice collati offert.

77. Quòd verò Cajo ob immisionem in Possessionem Canonicatus non possit obligari ad hoc, ut etiam ipse solvat statuta, patet ex huc usque dictis: nam 1. ut dictum est *Num. 13. & seqq.* omnes actus, quibus Beneficia Ecclesiastica obtinentur, si pro iis Temporale quid detur, vel petatur, Simoniaci sunt: quòd specialiter etiam de immisione in Possessionem decernitur

c. cum in Ecclesia. 9. de Simon. ibi: pro personis Ecclesiasticis ponendis in Sedem, seu introducendis Presbyteris in Ecclesiam &c.

Cùmque 2. Hæc Simonia, qua pro admisione in Possessionem datur aliquid Temporale, juxta dicta *Num. 22. & 26.* probabilis sit Juris Divini, & Naturalis, nulla consuetudo etiam longissimi temporis, ejusmodi dationem, & receptionem licitam potest reddere. Imò 3. Si etiam dicatur, petere, & accipere aliquid ex pacto pro immisione in Possessionem esse tantum contra Jus positivum Ecclesiæ; quia tamen, ut dictum est *Num. 27. & seqq.* Ecclesia semper reclamât, nulla consuetudo facere potest, ut etiam modicum quid ex pacto, & cum exactioe dari occasione immisionis in Possessionem possit: quòd ulterius 4. Declaratur *Num. 34.* ex Trident. & Constitutionibus S. Pij V. Clementis VIII. & Innocentii XII. ubi tales consuetudines, & Statuta declarantur esse iniqua, & scandalosa. Mitiganda hæc tamen sunt juxta ea, quæ supra dicta sunt *Num. 33.* ex mente P. Pirhing, qui dam-

nare non audet consuetudinem in Germania passim receptam, ut novi Canonici convivium dare, imò etiam certam pecuniæ summam persolvere Capitulo debeant; cum tolleretur ab Episcopis, imò & ab ipso Papa, qui tam generalem Consuetudinem ignorare non præsumitur.

78. Unde in præsentî Casu videtur inspiciendum, quæ sit Diocesis, in qua situs est Canonicatus Quæstionis, & aliarum circumvicinarum Consuetudo, & an illa tolleretur ab Episcopis: nam his Sacra Synodus Tridentina *Sess. 24. c. 14.* commisit, & injunxit, ut *de hujusmodi Consuetudinibus, & Constitutionibus Ecclesiarum diligenter cognoscant, & illis tantum, quas uti laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas, & scandalosas, rejiciant, & aboleant.* Additque S. Concilium, eos, qui adversus hæc, in præsentî Decreto comprehensa, quavis ratione commiserint, pœnis, contra Simoniacos editis - - teneri. Non videtur autem unquam approbatum ab Episcopis esse, vel etiam approbari potuisse Statutum, vel Consuetudo, ut laudabilis, quo novi Canonici compelluntur pro Statutis Capitulo solvere tantam quantitatem pecuniæ, quanta in Casu præsentî petitur. Igitur sine crimine Simonia juxta allegatum Tridentini Decretum nec solvi, nec peti potest, sed tam solventes, quàm petentes pœnas contra Simoniacos latis, incurrunt; inter quas etiam est, ut quòd pro immisione in Possessionem acceptum est, restitui debeat, & quidem quòd à Titio datum fuit, non ipsi Titio restituendum est, quippe qui juxta Speciem Facti in omnem casum se abdicavit Dominio datæ pecuniæ, sed arbitrio Judicis Ecclesiastici erogandum in pauperes, vel alias causas pias. Cajo autem, ne quid contra conscientiam suam faciat; cum bene prævideat, sibi apponendam conditionem solvendi pariter 208. Imperiales pro Statutis, Possessionem, sibi à Capitulo oblatam prudenter acceptare detrectavit. Absolvendus igitur est ab isto onere, & satisfaciet, si ab eo solvatur convocatio Capituli, sonus campanarum, & alia, quæ occasione immisionis in Possessionem ex Consuetudine, passim ab Ordinariis probata, solvi debent à novis Canonicis.

* * *

